

## CASUS CANONICO-MORALIS

### DE PAROCHO ABSOLVENTE ET MATRIMONIO ASSISTENTE

ANTONIUS et Paula sponsi sunt. Sponsus est ex dioecesi A, dum sponsa ex dioecesi B. Ambo sponsi matrimonium celebrare volunt in aliquo sanctuario in dioecesi B sito. Huic tamen matrimonio assistit parochus sponsi apud quem ipse sponsus, Antonius, immediate ante celebrationem matrimonii, et quidem coram invitatis, in sanctuario confessionem instituit, in qua confessione se accusat de abortu cum sponsa commisso.

Confessione peracta, statim sponsa eiusque mater ad idem confessionalem apud eundem parochum accedit ad confessionem peragendum in qua, inter alia, sponsa et mater dicunt inter sponsos existere impedimentum consanguinitatis in tertio gradu lineae collateralis.

#### QUAERITUR:

- I. Utrum parochus Antonii sponsi matrimonio huic, per se, valide assistere potuerit?
- II. Utrum idem parochus confessionem sponsorum in dioecesi B audire potuerit?
- III. Utrum igitur absolutio sponsae eiusque matri data valida sit necne?
- IV. Utrum sponsos absolvere potuerit a peccato abortus?
- V. Utrum idem parochus dispensare potuerit ab impedimento consanguinitatis inter sponsus existente?
- VI. Utrum tandem matrimonium de quo supra validum sit necne?

#### SOLUTIO:

AD I. Vi canonis 1094 et 1095 ad assistendum matrimonio soli competentes sunt ordinarius et parochus loci vel sacerdos ab alterutro delegatus, intra fines dumtaxat sui territorii.

Sub praesenti ergo disciplina non est ordinarius vel parochus<sup>1</sup> proprius sponsorum qui assistere debet matrimoniis sicuti statutum erat a

<sup>1</sup> Nomine *parochi* intelligitur 'Sacerdos vel persona moralis cui paroecia collata est in titulum cum cura animarum sub Ordinarii loci auctoritate exercenda'. Parocho aequiparantur (a) *quasiparochi*, (b) *vicarii paroeciales*, si plena potestate praediti sint, nempe (i) *vicarii actuales* (Can. 471, §4), (ii) *vicarii oeconomi* (Can. 473, §1), (iii) *vicarii substituti*, nisi Ordinarius loci vel parochus matrimonii assistantiam prohibuerit (Can. 474), (iv) *vicarii adiutores* qui in omnibus parochi vicem gerant (Can. 475, §2). Can. 451.

Concilio Tridentino<sup>2</sup> usque ad decretum 'Ne Temere'<sup>3</sup> sed parochus vel ordinarius loci infra cuius limites fit, adeo ut coram ipsis tantum, vel coram sacerdote ab alterutro delegato, matrimonium valide contrahi potest, et quidem nedum suorum subditorum sed etiam non subditorum. Itaque principium competentiae *territorialis*, in omnibus codicibus civilibus statutum, in iure canonico nunc est receptum.<sup>4</sup>

Unde sequitur parochus et ordinarius non posse valide matrimonio assistere suorum subditorum extra limites paroeciae sua vel respective dioecesos, nisi saltem delegationem obtineat a parocho vel ordinario qui valide assistere possunt matrimonio. Sequitur etiam quod sive parochus sive ordinarius valide assistere possunt matrimonio extra-naeorum dummodo matrimonium celebretur intra fines sui territorii<sup>5</sup> etiam insciis aut invitis parochis, etsi hoc non expediat sine iusta causa.

Ex his dictis nunc liquide patet parochum Antonii sponsi per se valide assistere non potuisse matrimonio celebrato in sanctuario in dioecesi B sito. Sanctuarium enim est extra limites territorii parochi A, i.e. sponsi. Neque rector dicti sanctuarii ius aliquod habet praedicto matrimonio assistendi, nisi saltem delegationem, sive in scriptis sive oretenus<sup>6</sup> ab ordinario vel parocho loci B obtineat.

Dixi supra *per se* quia utrum hoc matrimonium validum sit necne videbimus loco suo ad VI.

AD II. Antequam responsum demus huic quaesito iuvat quaedam

<sup>2</sup> Forma celebrationis matrimonii a Concilio Tridentino statuta est haec: '... praesente parocho (nempe proprio sponsorum), vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus'. Cfr. *Decr. Tametsi*, sess. 24, c. 1 *De Ref. Matrimonii*.

<sup>3</sup> Ut vitentur intricatae difficultates quae sub disciplina tridentina frequenter insurgebant, forma tridentina per decretum *Ne Temere*, diei 2 Aug. 1907, quod tamen vim accepit habere die Paschatis anni sequentis, i.e. a die 19 Aprilis 1908, mutata fuit uti sequitur: '... coram parocho invitato et rogato loci (ergo non necessario proprio) et testibus'. Quod idem reservatum fuit a C.I.C. paucis opportune additis vel immutatis, i.e. '... coram parocho vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus...' (Can. 1094).

<sup>4</sup> CHELODI J.: *Ius matrimoniale*, Tridenti, 1921, n. 132, c.

<sup>5</sup> Fines territorii attendendi sunt physice et non moraliter quia distantia etiam unius passus potest reddere nullum matrimonium. Cfr. CAPPELLO. F.: *Summa Iuris Canonici*, Romae, 1945, II, n. 386, 3.

<sup>6</sup> In casu necessitatis peti et dari licite potest etiam per telegraphum aut per telephonum. Cfr. GASPARRI P.: *De Matrimonio*, ed ix, 1932, n. 930.

principia referre quae cum casu nostro proximam relationem habent. Et quidem:

1. Ad confessiones valide excipendas requiritur iurisdictio sive ordinaria, sive delegata, eaque scripto vel verbis expressa, concessa.<sup>7</sup> Prima illa 'est quae ipso iure adnexa est officio; delegata, quae commissa est personae'.<sup>8</sup>

2. 'Ordinaria iurisdictione ad confessiones excipendas pro universa Ecclesia, praeter Romanum Pontificem potinatur S.R.E. Cardinales; pro suo quisque territorio ordinarius loci, et parochus, aliqui qui loco parochi sunt.<sup>9</sup> Hac eadem iurisdictione gaudent etiam canonicus poenitentiarius ecclesiae quoque collegiatae, ad normam canonis 401, §1, et superiores religiosi exempti pro suis subditis, ad normam constitutionum'.<sup>10</sup>

3. Qui iurisdictionem sive ordinariam sive delegatam habet, potest in illo territorio, omnes absolvere qui accedunt, sive saeculares sive religiosos sive peregrinos sive vagos sive fideles ritum orientalium.<sup>11</sup>

4. Qui ordinariam absolvendi potestatem habent possunt subditos absolvere ubique terrarum.<sup>12</sup> Qui ergo delegatam habent non possunt valide illam exercere extra territorium pro quo concessa est, quia territorialis est.<sup>13</sup>

His principiis iuridicis prae oculis habitis, affirmamus parochum sponsi libere potuisse confessionem Antonii audire in dioecesi sponsae quia ipse gaudet iurisdictione ordinaria, etsi pro foro interno etiam

<sup>7</sup> Can. 879.

<sup>8</sup> Can. 197, §1.

<sup>9</sup> Can. 451 et nota (1).

<sup>10</sup> Can. 873, §1, 2. Notandum est quod qui iurisdictionem ordinariam habet eam aliis delegare potest, nisi a iure expresse prohibeatur (Can. 199, §1). Igitur Cardinales, parochi, poenitentiarii ecclesiae cattedralis vel collegiatae non possunt iurisdictionem delegare. Pro Cardinalibus constat ex Can. 874, §1 et ex responso C.P.I. diei 16 Oct. 1919 (A.A.S., XI, 1919, p. 477, n. 3) et pro Canonico poenitentiario ex Can. supra citato, i.e. 401, §1. Qui vero delegaram habet, nisi expresse habeat facultatem subdelegandi, non potest aliis illam subdelegare quia intuitu personae censetur data uti ex Can. 877, §1, 2 patet.

<sup>11</sup> Can. 881, §1.

<sup>12</sup> Can. 881, §2. Etsi condioeceseani canonici poenitentiarii proprie subditi dici nequeunt possunt ab eo ubique absolviri.

<sup>13</sup> Huic regulae fit triplex exceptio, scl. (i) si potestas delegata sit a S.S.; (ii) si delegata sit ad universalitatem causarum vel negotiorum; (iii) si delegata sit cum concessione expressa subdelegandi. Nulla subdelegata potest iterum subdelegari, nisi id expresse concessum fuerit. Can. 199.

extrasacramentali restricta,<sup>14</sup> in sua paroecia quaeque ubique terrarum exerceri potest cum propriis subditis, uti dictum est numero 4.

Dixi *in sua paroecia* quia extra paroeciam parochus iurisdictione delegata fruitur in omnes fideles non parochianos qui in tota sua dioecesi confiteantur. Et haec iurisdictionem delegatam parochus obtinet ab ordinario proprio vel quando ad confessiones audiendas ab illo adprobatur vel quando tamquam parochus nominatur et instituitur, nisi contrarium expresse statuatur.

Sed ex eodem n.4 constat etiam parochum non potuisse confessionem sponsae eiusque matris, et coeterorum fidelium dioecesis sponsae, valide audire. Ratio clara est, quia pro dioecesi sponsae parochus omni iurisdictioni carebat, nisi saltem delegatus esset ab ordinario dioecesis sponsae, quae delegatio acquiri etiam potest vi vigentis consuetudinis. Delegatio *tacita* non sufficit quia directe opponitur delegationi *expresae*, de qua in n.1. Nota tamen quod vocabulum *expresse* non est idem ac *explicite*, aliis verbis non requiritur formula concessionis *explicita*, sufficit *implicita*. Sic si Episcopus aliquem sacerdotem ad exercitia spiritualia tradenda sacerdotibus mittit, eo ipso ei concedit facultatem audiendi eorum confessiones quia sacra missio concipi nequits sine peccatorum confessione. Neque delegatio *praesumpta* sufficit quia requiritur iurisdictionis actu et absolute existens consensu actuali, signo aliquo declarato.<sup>15</sup>

AD III. Etsi parochus de quo in casu sine ulla iurisdictione, nec ordinaria nec delegata, confessionem sponsae eiusque matris exceperit, dicendum non est absolutionem ab eo datam invalidam fuisse. Ratio est quia 'In errore communi aut in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum extemo tum interno'.<sup>16</sup>

Error communis alias est *de facto*, alias *de iure*. Dicitur *de facto* quando in aliquo loco multi (notabilis pars) de facto errant, affirmant scil. illud quod de facto non est, v.g. populus putat Titium sacerdotem parochum esse qui revera non est; *de iure* dicitur quando fundamentum publicum habetur quod de se aptum sit ad dignendum errorem in pluribus quamvis de facto unus tantum erret, v.g. si sacerdos iurisdictione

<sup>14</sup> A. CORONATA M.: *Institutiones Iuris Canonici*, 1928, Taurini, I, n. 480.

<sup>15</sup> IORIO-TUMMOLO: *Compendium Theologiae Moralis*, Neapol., ed iv, II, n. 536, Q. 4.

<sup>16</sup> Can. 209.

carens se sistat in loco ad confessiones recipiendas destinato vel electo tempore quo confessiones audiri solent. Qualis ex istis duobus erroribus requiritur ut Ecclesia iurisdictionem suppleat? Usque ad haec ultima tempora theologi divisi erant,<sup>17</sup> sed recentiores fere omnes concordant sufficere errorem communem de iure. Canon enim 209 non distinguit; cur ergo debemus nos distinguere?<sup>18</sup> Finis insuper legislatoris in condendo hunc canonem fuit controversias circa rem existentes dirimere ne anxietatibus ansa praebeatur. Requidem vera passim apparent practica criteria a nonnullis auctoribus adducta de numero eorum qui in loco in errore versantur, v.g. quod deberet esse *omnes vel fere omnes illius loci fideles, vel plerique fideles illius loci*, quae circumstantiae certe in magnis urbibus numquam verificarentur. Neque requiritur titulus *coloratus* ut olim <sup>22</sup> Codicem; titulus *existimatus* sufficit.<sup>19</sup>

Ex alia parte certum est quod error privatus, h.e. *paucorum*, non sufficit. Igitur ubi *clare et positive* constat apud multos – paucis exceptis – et etiamsi fundamentum publicum de quo supra habeatur, aliquem esse iurisdictione destitutum, v.g. quia notorie excommunicatus vel suspensus etc., Ecclesia non supplet. Non fit enim locus coniecturae ubi veritas iam cognita est. Potest tamen error circa eamdem personam esse communis in uno loco et privatus in alio.<sup>20</sup>

His positis redeamus ad casum nostrum. Sponsum, ante celebrationem matrimonii, confessionem apud suum parochum instituit et quidem coram invitatis in sanctuario. En fundamentum quo alii inducti sunt in errorem putando nempe parochum iurisdictione ad confessiones *omnium* fidelium audiendas pollere. Hac falsa opinione facti tum sponsa tum mater ad confessionem apud eumdem parochum accesserunt. Ecclesia, mater benigna, propter harum utilitatem iurisdictionem supplevit ne invalidae evaderent earum confessiones. Parochus igitur bene fecit illas admitten-

<sup>17</sup> Vid. AA. eorumque argumenta pro alterutra sententia apud WILCHAS F.A., O.F.M.: *De errore communi in iure romano et canonico*, Romae, 1940, p. 194-5.

<sup>18</sup> KELLY J.P.: *The Jurisdiction of the Confessor*, NEW York, 1928, p. 124. Cfr. etiam *Perfice Munus*, 1933, p. 25 et 1962, p. 286 ubi ANGLIOLINI alias validas observationes refert contra BENDER.

<sup>19</sup> KELLY J.P., o.c., p. 120-1. Titulus *coloratus* est titulus in se quidem falsus sed tamen vere collatus a superiore et ideo praeseferens speciem tituli veri licet ex aliqua causa vitio occulto *nullitatis* laboret. Sic sacerdos qui simoniace renuntiatur parochus et ab Episcopo in paroecia constituitur habet titulum *coloratum*. Huic opponitur titulus *existimatus* qui a fidelibus adesse reputatur, licet non existat. Cfr. IORIO-TUMMOLO, o.c., I, n. 539.

<sup>20</sup> IORIO-TUMMOLO, I. et o.c.

do ad confessionem etiamsi forsan hic et nunc scivisset necessaria iurisdictione in illas se carere. Non enim ipse nec in suum commodum supplet Ecclesia. Ergo parochus non solum non incurrit in suspensionem a divinis canone 2366 statutam, sed nequidem venialiter peccavit, quia pro auditione confessionis Antonii sponsi – unde error ortus est – parochus usus est iure suo. Coeterum non sine ratione sufficienti confessionem sponsae eiusque matris audivit parochus.<sup>21</sup>

AD IV. In Codice Iuris Canonicis statuitur: 'Procurantes abortum, matre non excepta, incurunt, effecto secuto, in excommunicationem latae sententiae ordinario reservatam, et si clerici sunt, praeterea deponuntur (Can. 2350, § 1).

In primis nomine abortus, sensu canonico, venit *electio foetus immaturi ex utero matris.*<sup>22</sup> Immaturus censetur foetus ante septimum saltem incoepsum gestationis mensem. Itaque acceleratio partus, embryotomia, craniotomy et aliae id genus operationes occisionem foetus ferentes nomine abortus non veniunt e<sup>st</sup> ideo non subiacent poenis hoc canone statutis.<sup>23</sup>

*Procurantes* abortum dicuntur illi qui directi, studiose seu de industria actione efficaci physica, ut veneno, aut morali, ut suasione, terrore etc., causant abortum. Et quidem matre non excepta, et ita evanescit controversia quae olim erat apud auctores.<sup>24</sup>

Hi omnes, praeter peccatum contra virtutem iustitiae, incurunt in excommunicationem reservatam non Ordinario loci sed Ordinario cuilibet qui

<sup>21</sup> Controvertitur inter auctores utrum ille qui *sine ratione sufficienti* Ecclesiam invitam cogeret ad iurisdictionem supplendam peccet lethaliter vel venialiter tantum. Cfr. KELLY J.P. o.c., p. 137-40. Sed probabile est illum venialiter tantum peccare, praeciso scandalo fidelium et contemptu ecclesiasticae auctoritatis, et ita non subiacere poenae suspensionis de qua in Can. 2366. Cfr. IORIO-TUMMOLO, o.c. n. 540, Q. 15.

<sup>22</sup> Poenalistae civiles abortum definint: *Violentam interruptionem processus physiologici maturationis foetus.* Differt ergo aliquatenus a notione abortus supra data. Cfr. PALMIERI V.M.: *Medicina legale-canonicista*, 1946, p. 296, 3, et A<sub>4</sub> CORONATA, o.c., IV, n. 2015.

<sup>23</sup> Qui foeticidium patrent sive per craniotomy aut aliud simile medium, homicidium committunt et poenas homicidi profecto contrahunt. Cfr. Can. 2354, 1, et 985, n. 4.

<sup>24</sup> Sed mater excusatur a censura – non vero a peccato – si hoc egerit extimore vel *metu gravi* ad normam Can. 2229, 3, n. 3. C.P.I. 30 Dic. 1937 (AAS, 1938, p. 73). Vid. *Periodica*, 1938, p. 162; *Appolinaris*, 1938, p. 180; et *Ius Pontificium*, 1938, p. 139.

nomine hoc venit in iure.<sup>25</sup> Praeterea fiunt irregulares ex delicto clerici.<sup>26</sup> Sed 'effectu secuto', i.e. (i) abortus *re ipsa* secutus sit, (ii) et *certo* illum ex medio adhibito, et non ex alia causa, secutus est. At de iure vigente non attenditur amplius utrum foetus *animatus* sit annon. Doctrina qua docebatur foetum masculinum animari post 40 et feminarum post 80 dies a conceptione absoleta et iamdiu antiquata est. Sufficit ut humanus sit, et quilibet foetus ex muliere natus humanus est, modo vivat.<sup>27</sup>

Ad casum. Sponsus in confessione se accusat de abortu cum sponsa commisso. Ponamus sponsos verum et completum delictum, iuxta praedicta, commisisse. Potestne parochus Antonii ambo sponsos ab hoc peccato absolvere? Negative *per se*, quia peccatum abortus reservatum est ratione censurae adnexae et a censura reservata tantum potest absolvere vel ille qui eam fert vel ille cui reservatur a Codice vel ille cui datur facultas.

Neque in casu quis appellare potest ad Can. 900 quo quaevis reservatio cessat quando, praeter alios casus, agitur de confessione sponsorum matrimonii ineundi causa, quia hoc in canone agitur tantum de peccatis reservatis ratione sui et non de illis reservatis ratione censurae ut in casu nostro. Idem dicendum est quoad can. 899 §3 quo facultas datur parochis absolvendi toto tempore paschali a casibus Ordinario reservatis, quia etiam hoc in canone agitur de peccatis – probabiliter etiam cum censuris – quae *sibi a se* Ordinarii reservant.<sup>28</sup>

Dantur tamen exceptiones iuxta quas absolvvi possunt poenitentes et quidem: (i) si confessarius (in casu parochus) est religiosus exemptus et hoc vi privilegii apostolici Regularibus concessi;<sup>29</sup> (ii) si poenitens nescit peccato commisso adnexam esse censuram. Ignorantia enim simplex – non vero crassa vel supina et a fortiori affectata – excusat a poenis medicinalibus, non vero vindicativis;<sup>30</sup> (iii) in periculo vel

<sup>25</sup> Cfr. Can. 109.

<sup>26</sup> Can. 985, n. 4.

<sup>27</sup> Cfr., si vis, ampliorem expositionem huius delicti a Prof. TABONE datam in *Scientia*, XI (1945), n. 1, p. 27-37.

<sup>28</sup> Excipe naturaliter censuras *ab homine* aliasve per sententiam iudicialem inflicas vel declaratas. Cfr. IORIO-TUMMOLO, o.c., II, n. 560, Q.2, N.B.

<sup>29</sup> Vi huius privilegii Regulares possunt absolvere a peccatis Episcopo reservatis a Codice et non ab illis reservatis *sibi a se*. Cfr. TABONE, o.c., p. 37.

<sup>30</sup> Can. 2229. Alia quaestio est ergo si ageretur de ignorantia quoad reservationem peccatorum sine censura, quia cum reservatione peccati rationem poenae non habeat, sed potius disciplinaris dicenda est, etiam ignorantis, iuxta saltem communiores sententiam, illam incurrint. IORIO-TUMMOLO, o.c., II, n. 557.

articulo mortis et in casu urgenti. Casus urgens habetur si censura latae sententiae exterius servari nequeat sine periculo gravis scandali vel infamiae, aut si durum sit poenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut superior competens provideat.<sup>31</sup>

His tribus exceptionibus prae oculis habitis quis negat parochum, de quo in casu, non potuisse absolvere sponsos a peccato delicti abortus ratione saltem casus urgentioris? Nonne celebratio matrimonii urgebat? Ergo parochus bene se gessit, imponendo tamen sponsis onus, sub poena reincidentiae, recurrendi ad episcopum et standi eius mandatis.<sup>32</sup> Notamus tamen quod rarus est casus in quo ipsi poenitentes recurrere possint et velint; quare confessarius, in casu parochus, ad episcopos sponsorum scribat eosque de absolutione a censura in casu urgentiori concessa doceat et petat mandata.<sup>33</sup>

Dixi supra: 'Ratione saltem casus urgentioris' quia si sponsi dum delictum abortus committebant poenam ecclesiasticam delicto adnexam ignoraverint, excommunicationem non incurrebat. Hoc in casu parochus debuerat quidem illos monere de poena adnexa in posterum contrahenda, sed nulla obligatio imponenda est eis redeundi ad suscipienda mandata.<sup>34</sup>

AD V. Inter sponsos adest impedimentum consanguineitatis in tertio gradu lineae collateralis. Impedimentum hoc, etsi gradus minoris,<sup>35</sup> est dirimens, quod nempe 'graviter prohibet matrimonium contrahendum et impedit quominus valide contrahatur'.<sup>36</sup> Nisi ergo impedimentum inter sponsos existens e medio tollatur per dispensationem, matrimonium invalidum evaderet.

Videbimus imprimis quid Codice statuitur circa auctorem dispensationis quia tunc solutio per se patebit.

*Principium generale:* Praeter Romanum Pontificem, nemo potest impedimenta iuris ecclesiastici... dispensare, nisi iure communi vel speciali indulto a S. Apostolica haec potestas concessa fuerit.<sup>37</sup>

Ex hoc sequitur quod:

1. Romanus Pontifex, ex plenitudine suae potestatis, dispensare potest ab omnibus impedimentis ecclesiasticis, licet in quibusdam aut

<sup>31</sup> Can. 2254.

<sup>32</sup> Can. 2254.

<sup>33</sup> NOLDIN H.: *Summa Theologiae Moralis*, Oeniponti, ed. 31, 1957, III, n. 367, 4.

<sup>34</sup> *Perfice Munus!*, 1934, p. 341.

<sup>35</sup> Can. 1042, §1, n. 1.

<sup>36</sup> Can. 1036, §2.

<sup>37</sup> Can. 1040.

aegerrime aut numquam dispensat, valide semper, licite si de causa hoc faciat.

2. *Iure communi*: (a) Locorum Ordinarii et quidem (i) *in mortis periculo*, et a fortiori *articulo*, ad consulendum conscientiae et, si casus fuerit, legitimatiōni proliis, dispensare possunt tum super forma celebrationis matrimonii tum super omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, exceptis illis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio, proprios subditos ubique terrarum et omnes in proprio territorio actu degentes;<sup>38</sup> (ii) *in casu urgenti*, i.e. cum iam omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo, differri possit usquedum a S. Sede dispensatio obtineatur,<sup>39</sup> possunt dispensare ut in (i), forma matrimoniali excepta.<sup>40</sup>

(b) Parochi, assistentes matrimonio et confessarii: (i) *in mortis periculo*, possunt dispensare uti episcopi, quando hi adiri non possunt, sed confessarius in foro interno sacramentali tantum;<sup>41</sup> (ii) *in casu urgenti*, idem possunt ut episcopi, sed in casibus occultis tantum in quibus Episcopus adiri non potest vel nonnisi cum periculo violationis secreti.<sup>42</sup>

3. *Ex delegatione*: illi possunt dispensare qui hanc facultatem obtinuerunt a Sancta Sede et tantum in impedimentis pro quibus facultas concessa est.<sup>43</sup>

Istis prae oculis habitis patet parochus, potuisse dispensare ab impedimento inter sponsos existentes quia *casus occultus* erat et quidem *urgens*, immo urgentissimus. Nec tenebatur parochus recurrere ad Ordinarium per telephonum nec uti speciali medio, e.g. de curru *automobili* vel *motocicletta* nuncupato, licet haberit potuerit.<sup>44</sup> Nec *casus occultus* intelligi debet stricto sensu, sed eo sensu quod, quamvis antea impedimentum fuit cognitum, tunc solum tamen ad notitiam parochi (aut Ordinarii) sit allatum.<sup>45</sup> Neque *casus occultus* confundendus est cum *impedimento occulto*. Impedimentum enim consanguinitatis de quo in casu est natura sua publicum, sed de facto occultum et hoc sufficit ut dispensatio

<sup>38</sup> Can. 1043.

<sup>39</sup> Nota differentiam quoad *casum urgente* quando agitur de dispensatione impedimentorum et de absolutione censurae de qua ad IV, 3.

<sup>40</sup> Can. 1045, §1. Quod valet etiam pro convalidatione matrimonii. Can. 1045, §2.

<sup>41</sup> Can. 1044.

<sup>42</sup> Can. 1045, §3.

<sup>43</sup> Can. 1049, 1050, 1051.

<sup>44</sup> C.P.I., 12 Nov., 1922. (AAS, XIV, 1922, p. 662).

<sup>45</sup> C.P.I., 1 Martii 1921 (AAS, XIII, 1921, p. 178).

concedi possit.<sup>46</sup>

Ergo poterat parochus dispensare, sed utrum qua parochus vel qua confessarius, controvertitur. P. Gasparri sententiam negantem qua confessarius putat veriorem quia confessarius non potest dispensare super impedimentis natura sua etsi de facto occultis.<sup>47</sup> Responsum tamen Commissionis Pontificiae, diei 28 Decembris 1927, non distinguit inter parochum et confessarium quoad facultatem dispensandi.<sup>48</sup> Parochus igitur, saltem iuxta multos, dispensare poterat qua confessarius, sed hoc in casu, dispensatio data valeret pro foro interno tantum, h.e. coram Deo, et ideo referri non poterat Ordinario nec in libro secreto adnotari quia obstaret secretum sacramentale quod nullo in casu nullaque actione licet revelare; igitur si, tractu temporis, impedimentum evaderet de facto publicum, sponsi alia dispensatione indigerent pro foro extemo, h.e. coram Ecclesia.<sup>49</sup>

Qua parochus, etsi uti talis ex errore communi existimatus, poterat ab impedimento dispensare etsi forsan sponsa eiusque mater mala fede ad eiusmodi discrimen adnexerit.<sup>50</sup> Si enim ex errore communi valide, ut videbimus in quaesito sequenti, assistere poterat matrimonio, valide etiam dispensare poterat ut valide assistat. Dispensatio ab eo data in foro interno extrasacramentali valeret etiam pro foro extemo. Sed parochus, qua parochus, tenebatur de concessa dispensatione ordinarium loci, in quo matrimonium celebratum fuit, statim certiorem reddere eamdemque dispensationem in libro peculiari, qui in archivo secreto Curiae asservatur, adnotare,<sup>51</sup> et si postea impedimentum de facto occultum evaderet publicum, sufficit in casu palam declarare matrimonium esse validum ob concessam iam antea dispensationem.

AD VI: Ad I diximus parochum Antonii sponsi non potuisse per se

<sup>46</sup> C.P.I., 28 Dec. 1927 (AAS, XX, 1928, p. 61).

<sup>47</sup> GASPARRI P.: *De Matrimonio*, ed. ix, 1932, I, n. 398. Cfr. etiam KELLY J.P., o.c., p. 222-3, ubi alios auctores citat.

<sup>48</sup> CAPPELLO F.: *Tractatus Canonico-moralis de Sacramentis*, 1947, ed. v, V, n. 238, 3. Cfr. etiam KELLY o.c., p. 233-5.

<sup>49</sup> Can. 1047. Cfr. KELLY, o.c., p. 104 et 218. In praxi tamen confessarius impone re debet poenitenti ut si impedimentum diffamatorium non sit et nulla habeatur ratio specialis illud secrete tenendum, vel parocho vel sacerdoti assistente matrimonio vel ipsi confessario extra confessionem ut, si tempus habeatur, ad ordinarium recurrat. KELLY, o.c., p. 226.

<sup>50</sup> KELLY, o.c., p. 221; CAPPELLO F.: *Tractatus... de Sacramentis*, 1947, ed. v, V, n. 234bis, 7.

<sup>51</sup> Can. 1046. CAPPELLO F., o.c., n. 242.

valide assistere matrimonio celebrato in aliqua dioecesi, quia potestas parochi, quod ad matrimonium pertinet, est territorialis. Estne ergo *matrimonium hoc invalidum?* Haec est alia quaestio circa quam hodie nulla habetur difficultas. Dico 'hodie' quia usque ad haec ultima tempora quaestio erat adhuc sub lite. Ius enim assistendi matrimonium non est proprie potestas iurisdictionis quam Ecclesia certo supplet in errore communi et in dubio positivo et probabili.<sup>52</sup> Attamen cum haec potestas obtineatur tum vi officii tum delegatione, merito auctores illam potestati iurisdictionis assimilabant<sup>53</sup> et ipsa S.R.R. iam die 22 Novembris 1927, canonem 209 matrimonio sine delegatione applicavit.<sup>54</sup> Ad tollendam vero quamlibet difficultatem in posterum quaesitum fuit C.P.I.: 'An praescriptum canonis 209 applicandum sit in casu sacerdotis qui, delegatione carens, matrimonio assistat'; quae, die 26 Martii 1952, respondit *affirmative*.<sup>55</sup> Et recte. Etenim tum sponsi tum fideles praesentes forte non cogitant an valat vel non valeat parochus matrimonio assistere. In casu nostro non solum non deerat titulus *coloratus* (est enim parochus) sed neque saltem fundamentum publicum quod necessario et rationabiliter fideles in errorem induxit.<sup>56</sup> Nonne fideles parochum viderant confessionem sponsorum audire et nonne ex officio videtur agere ipse parochus et ad altare paratus consensum, ut alii, exquirere et accipere?

Ergo matrimonium de quo in casu certe validum habendum est quia Ecclesia supplevit iurisdictionem in parocco assistente, etiamsi forte

<sup>52</sup> Can. 209.

<sup>53</sup> CAPPELLO F., c.c., n. 650, 2.

<sup>54</sup> Cfr. *Decisiones*, XIX, pp. 453-65, nn. 8-11. Huic adiungi potest alia *Decisio coram Canestri*, anno 1936 habita, qua statuitur 'ut error sit communis, non requiritur ut multos iam actu sint deceptos, sed sufficere fundamentum positum esse, iuxta quod plures in errorem incidere potuerunt'. L.c. XXVIII, p. 280, ad 7; et aliae similes, v.gr. illa *coram Winem*, anno 1937 habita, alia iterum *coram Winem*, anno 1941 et altera *coram Groziooli*, anno 1942 habita. L.c. XXIX, p. 60, ad 5; XXXIII, p. 725, ad 11; XXXIII, p. 419, ad 13.

Non negamus tamen recentiori tempore alias solutiones datas esse contrarias. Sic *Decisio* data anno 1947 qua Nuntius Apostolicus delegationem a parochis dandam reliquebat quia parochi putabant Nuntium Apostolicum delegatinem non indigere. In casu S. Tribunal iudicavit ignorantiam communem non autem errorem communem extitisse. Cfr. *Ephem. J.C.*, 17 (1951), p. 364-5. Cfr. etiam aliam *Decisionem* diei 22 Februarii 1956, *coram Mattioli in Monit. Eccl.*, 81 (1956), p. 416-37.

<sup>55</sup> AAS, 54 (1952), p. 497; *Perfice Munus*, 1953, p. 14 et 231.

<sup>56</sup> Consulto hanc quaestionem circa validitatem matrimonii ad ultimum quaesitum relinquimus ut melius res intelligatur ex iam dictis ad III presentim circa errorem communem.

ipse scivesset se iurisdictione carere. Non enim ipse parochus assistens, nec in eius commodum, sed in fidelium utilitatem Ecclesia iurisdictionem supplet.<sup>57</sup>

#### A. TABONE

<sup>57</sup> Cfr. Mons. STAFFA apud *Apollinaris*, 25 (1952), pp. 404-7 et decisionem *coram Caiazzo* diei 16 Februarii 1946, XXXVIII, p. 110, ad 4.

Sed quid dicendum de valore matrimonii si alius sacerdos in aliquo casu particulari, qui nempe nullam rationem muneric habitualiter coadiuvandi in territorio paroeciali habet, sine delegatione matrimonio assistit in loco ubi ordinarie celebrari solent matrimonia?

P.L. HOFMANN aliique admittunt in casu validitatem propter errorem communem. Pro illis nulla differentia habetur inter errorem communem ad confessiones audiendas et ad matrimonio assistendum necessarium. Fatetur insuper idem Hofmann hanc suam interpretationem nullo modo infirmare canones 1094-6 quorum fines est praevenire clandestinitatem matrimoniorum. Nihilominus attenta persimil recenti iurisprudentia romana, auctores recentiores prudentius validitatem negant. Cfr. ZALBA M., *Theologiae Moralis Summa*, Matridi, 1958, III, n. 1393. Cfr. etiam BOSCHI A., S.J. in *Prefice Munus*, 33 (1958) p. 274-86.